

gumentum : *aliàs* attributum, adjectum, oppositum, & pars consequens dicitur.

Canones de subjecto & prædicato hi tenendi :

1 *Omne axioma in duas tantum partes materiales reales resolvitur.*

Partes illæ sunt antecedens, & consequens. Non sunt plures. Tot enim sunt axiomatis partes, in quot axioma resolvitur, juxta illud celebratum : *Eadem sunt principia compositionis & divisionis.*

2 *Vocabula hæc, subjectum & prædicatum, etiam ad compositum axioma transferri possunt.*

Peripatetici docent subjectum & antecedens, prædicatum & consequens esse *ἰσοδυναμῶν*. Contra hanc sententiã disputant nonnulli; & contendunt, omne quidem subjectum esse antecedens, & omne prædicatum esse consequens, sed non vicissim; eò quòd subjectum & prædicatum duntaxat axiomati simplici, cõposito non item, præsertim cõnexo, nisi valde improprie, cõvenient. Sed hæc cõsura est nauci. Nam subjectum in genere sic finitur, quòd sit prius axiomatis membrum, de quo aliquid prædicatur : prædicatum, alterum axiomatis membrum, quod de subjecto prædicatur. *Fonsec. libr. 1. inst. Dial. cap. 14.* Cum his definitionibus coincidunt illæ, quæ à nobis sunt traditæ.

3 *Subjectum realiter differt à prædicato.*

Ratio: quia thema & argumentum realiter inter se differunt. Subjectum autem continet thema, sicut prædicatum continet argumentum. Objicis prædicationes identicas, in quibus idem de seipso prædicatur. Resp. Prædicatio identica est vel nugax, vel intensiva. *Nugax* est, in quâ idem simpliciter de seipso prædicatur. Et hæc est inanis tautologia: ut cum dico, ensis est ensis, scapha est scapha. Hic est idem prorsus & voce, & significatione. Proinde inepta tautologia & batrologia. *Intensiva* est, in quâ idem secundum quid de seipso prædicatur; quod vel est idem voce, & significatione diversum, ut Deus est Deus; vel est voce diversum, & idem significatione, ut Evangelium est lætum nuntium. Hæc prædicatio non est nugax, sed prædicatum intendit significationem

Prædicatio
identica
duplex.